

**DE NECESSITATE CREDIBILITATIS
PARTIUM INTRINSECAE
AD CERTITUDINEM MORALEM
IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS
ADIPISCENDAM**

1. De veritate statuus matrimonium impugnantium certitudine morali detegenda

Benedictus XVI, Summus Pontifex, ut cooperator veritatis (cf. 3 *Io*, 8), anno novo iudiciali die 28 mensis ianuarii MMVI ineunte, in sua prima allocutione ad Romanae Rotae Tribunalis auditores habita omnes ubique terrarum iudices ecclesiasticos monuit in causis nullitatis matrimonii munus iudicis esse veritatem de vinculi matrimonii eruere. Causae quidem matrimonialis obiectum esse de validitate aut nullitate matrimonii veritatem. Quapropter processum matrimoniale institutum esse iustitiae et pacis¹.

Hanc de statu personali matrimonium impugnantium veritatem iudex cognoscere debet illo gradu certitudinis, qui *moralis* dicitur (can. 1608 §1). Quam ob rem cardo, circa quem versatur et finis ad quem ordinatur totum iter processus, haec est certitudo in iudicis animo requisita ex actis et probatis

¹ BENEDICTUS XVI, Allocutio ad Rotae Romanae Tribunalis auditores die 28 ianuarii 2006 habita, *Osservatore Romano* 24 (2006) 5.

haurienda (can. 1608 §2)². In hoc momento temporis processus iudicis est, probationibus aestimatis (can. 1608 §3), quaerere utrum ea quae asserta sunt ad veritatem pertineant necne et, certitudinem moralem de re adeptus, pronuntiare nullitatem matrimonii constare, alioquin semper pro favore matrimonii ei pronuntiandum est (can. 1608 §4).

2. Potestne fieri ut iudex canonibus 1536 §2 et 1679 applicatis certitudinem adipisci possit moralem?

In Codice Iuris Canonici vigenti (CIC/1983) ad veritatem nullitatis matrimonii detegendam magnum habent pondus partium depositiones. Hoc pondus non solum eo exprimitur quod partium declarationes in titulo IV libri *De processibus* primum inter alias probationes locum tenent, sed eo etiam quod potissimum in causis, quae bonum publicum respiciunt, *vim probationis* habere possunt (cf. can. 1536 §2, pars prima). Quas quoque ad causas bonum publicum respicientes causae matrimoniales pertinent. Partium declarationibus vim probationis tribuendi possibilitas magni est in illis causis matrimonialibus momenti, in quibus iudex nullitatem matrimonii ob actum voluntatis consensum matrimonialem irritum reddentem cognoscere debet, cum de actu interno agatur, de quo sola pars ipsa deponere potest. Attamen, vi probationis quamvis tributa, iudex ad normam secundae partis can. 1536 §2

² Cf. Z. GROCHOLEWSKI, «La certezza morale come chiave di lettura delle norme processuali», *Ius Ecclesiae* 9 (1997) 449.

certitudinem moralem non adipiscitur nisi partium declarationes *plenam* habent vim probationis, quae gaudent, cum aliis elementis accedentibus corroboratae sint. In can. 1536 §2, qui in libro VII Codicis de probationibus suum locum habet ea in parte, quae de iudicio contentioso *ordinario* tractat, de natura aliorum elementorum partium declarationes corroborantium nihil ad meritum causae quod attinet legitur³.

Attentis haud raris difficultatibus ad veritatem nullitatis matrimonii in foro externo eruendam, plenae vis probationis tribuendae possibilitas praesertim gravis est in causis matrimonialibus aliarum probationum penuria laborantibus; ad normam enim can. 1679 plena vis probationis in eis iam tribui potest testibus de partium credibilitate indicisque et adminiculis, quae non probant, sed credibilitate partium depositiones corroborant⁴.

³ Ad naturam aliorum elementorum quod attinet sunt qui contendunt elementa de quibus in can. 1536 §2 non esse probationes cf. e. gr. K. LÜDICKE, «Kommentar zu den Canones 1400-1752», in K. LÜDICKE (ed.), *Münsterischer Kommentar zum Codex Iuris Canonici*, Essen seit 1985 (Loseblattwerk). Stand: 25. Ergänzungslieferung April 1996, 1536, 7, ubi asseverat elementa non esse probationes; N. LÜDECKE, «Ehenichtigkeitserklärung aufgrund der Parteiaussagen gemäß c. 1679 CIC. Verständnis und Tragweite eines aktuellen Canons», in P. ERDÖ (ed.), *Bonn – Budapest – Kanonistische Erträge einer Zusammenarbeit*, Würzburg 1998, 200; M.F. POMPEDDA, «Il valore probativo delle dichiarazioni delle parti nella nuova giurisprudenza della Rota Romana» in *Studi di diritto processuale canonico*, Milano 1995, 323 s.

⁴ Cf. I. GORDON, *Novus processus nullitatis matrimonii. Iter cum adnotationibus*, Roma 1983, 33: «Est igitur haec “probatio subsidiaria” medium a legislatore sapienter oblatum ut sic dictis “casibus fori interni”, qui revera tales sunt, solutionem in foro iudiciali afferat».

Congregatio pro Doctrina Fidei in epistula sua die 15 octobris 1994 in medium prolata ad quaestionem pastorem de receptione communionis eucharisticae a fidelibus, qui post divortium novas inierunt nuptias, respondit⁵. Quo quoque in contextu Congregatio animos animadvertit ad normas Codicis Iuris Canonici vigentis, quibus haec difficultas canonice tolli posse dicatur. Esse can. 1536 §2 connexum cum can. 1679, quibus iudici facultas est nullitatem matrimonii declarandi nonnisi partium declarationibus fulto⁶. Quibus canonibus nixus legislator iudici medium offert, quo casibus fori interni solutio in foro externo seu iudiciali afferatur⁷.

Respectis elementis quae non sunt probationes, sed *testes de credibilitate, indicia et adminicula*, quibus efficitur, ut partium declarationes non probentur, sed corroborentur, quaeratur oportet, utrum ex illis normis, de quibus in epistula Congregationis pro Doctrina Fidei sermo est, consequatur, ut can. 1608 §1, qui ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae in iudicis animo moralem certitudinem requirit, eo mutetur, quod legislator conceptum quidem moralis certitudinis servavit, simul autem eo, quo conceptus continetur, discessit, illa nempe celeberrima definitione moralis certitudinis neglecta, qua Summus Pontifex *Pius XII* conceptum moralis certitudinis in

⁵ CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Epistula ad catholicam Ecclesiam episcopos de receptione communionis eucharisticae a fidelibus qui post divortium novas inierunt nuptias, AAS 86 (1994) 974-979.

⁶ CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Epistula de receptione communionis eucharisticae (cf. nt. 5), 978, n. 9.

⁷ Cf. I. GORDON, *Novus processus nullitatis matrimonii* (cf. nt. 4), 33.

sua allocutione ad Auditores Rotaes die 1 mensis octobris 1942 habita declaraverat. Ad certitudinem moralem requiritur ut quodlibet prudens dubium positivum errandi in iure et facto excludatur, etsi mera non tollatur possibilitas contrarii⁸. Hoc genus certitudinis nec cum mera probabilitate (vel quasi-certitudine) nec cum absoluta certitudine congruit. Nam probabilitatem non omne prudens dubium excludere, absolutam autem certitudinem possibilitatem contrarii non admittere. Moralem proinde certitudinem inter probabilitatem et absolutam certitudinem stare, cum hoc gradu certitudinis tum omne prudens dubium excludatur (contra probabilitatem) tum possibilitas contrarii admittatur (contra certitudinem absolutam)⁹. Quaerendum est utrum, attentis cann. 1536 §2 et 1679, id est possibilitate partium declarationibus vim plenae probationis tribuendi, postulari omnino possit, ut iudex moralem certitudinem illo a Pio XII definito sensu adipiscatur necne. Aliis verbis: Qualia esse debent alia elementa de quibus in his canonibus, ut iudex certitudinem moralem de nullitate matrimonii sibi in animo efformare possit. De natura ergo horum elementorum ad meritum causae quod attinet quaeratur oportet, nam ex eorum natura elementorum condiciones exstant ad certitudinem moralem in causis matrimonialibus adipiscendam. Quaeritur utrum haec elementa intrinseca sint seu ad meritum ipsum causae a parte vel partibus relatum pertineant an sufficiat, ut elementa

⁸ PIUS XII, Allocutio ad Rotae Romanae Tribunalis auditores die 1 octobris 1942 habita, AAS 34 (1942), 339 s., n. 1.

⁹ PIUS XII, Allocutio ad Rotae Romanae Tribunalis auditores (cf. nt. 8).

extrinseca sint vel tantummodum ad partium declarationes qua tales spectent.

3. De natura aliorum elementorum de quibus in cann. 1536 §2 et 1679

Ut natura elementorum de quibus in cann. 1536 §2 et 1679 cognoscatur, id est eorum relatio ad meritum causae, opus est explicatione quarundam notionum. In eis dilucidandis patet necessarium esse quod uterque canon in se et separatim considerantur. Can. enim 1536 §2 ad iudicium contentiosum *ordinarium*, can. autem 1679 ad quosdam processus speciales pertinet, id est ad causas quae instituuntur, ut matrimonii nullitas declaretur. Ex hac distinctione patet can. 1536 §2 esse normam generalem, can. autem 1679 normam specialem. Haec distinctio ordinis canonum in libro VII Codicis *De processibus* permagni est ponderis ad ambos canones interpretandos. Qua enim ex distinctione consequitur ut illa “alia elementa” in can. 1536 §2 omnia comprehendant quae probatoria (seu corroborantia in sensu lato) sunt et ad caput nullitatis probandum directe aut indirecte conferunt. Proinde primum haec elementa sunt probationes directae et indirectae, deinde quoque elementa non probantia, sed partium depositiones corroborantia in sensu stricto, ad quae pertinent *indicia*, *adminicula* et *testes de partium credibilitate*, de quibus in can. 1679 expressis verbis agitur. Necessitas aliarum probationum in iudiciis contentiosis ordinariis cum illo verbo *corrobovent* in can. 1536 §2 non pugnat, cum probatio quoque ad corroborationem alterius probationis conferat, id est eorum, quae ex partium depositionibus, sive ex con-

fessione iudiciali sive ex aliis declarationibus, evincuntur. Verbum enim *corroborare* hic in sensu lato adhibetur¹⁰. Haec “aliorum elementorum” natura probatoria ab Instructione *Dignitas connubii* confirmatur, quippe quae in art. 180 §1 de elementis *probatorii* expressis verbis loquatur¹¹.

¹⁰ Cf. J. GEHR, *Die Bewertung des gerichtlichen Geständnisses und der Parteiaussagen vor Gericht gemäß c. 1536 §2 CIC/1983*, St. Ottilien 1994, 75, nota 11.

¹¹ Cf. PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS, Instr. *Dignitas connubii*, 25 ian. 2005, Città del Vaticano 2005, art. 180 §1: Confessiones et aliae partium declarationes iudiciales vim probandi habere possunt, a iudice aestimandam una cum ceteris causae adiunctis, at vis plenae probationis tribui nequit, nisi alia accedant elementa probatoria quae eas omnino corroborent (cf. can. 1536 §2). Admodum proinde mirum est quod Nicolaus (Klaus) Lüdicke, huic articulo Instructionis manifeste dissimilis, in quodam suo commentario articuli 180 §1 asserit elementa non esse probationes. Cf. K. LÜDICKE, «*Dignitas Connubii*. Die Eheprozeßordnung der katholischen Kirche», in *Münsterische Kommentar* (Beiheft 42), Essen 2005, 229. Ad hanc quoque aliorum elementorum naturam probatoriam in aliquot sententiis *coram Stankiewicz* iure meritoque animadvertitur. Cf. Sententiae c. Stankiewicz, 24 iulii 1997, in *RRDec.* 89, 646, n. 20; 26 nov. 1998, in *RRDec.* 90, 763 s., n. 14. Sunt enim quidam iuris periti, qui vim probatoriam horum elementorum, de quibus in can. 1536 §2, negent aut elementa, quibus non est vis probativa, ad partium declarationes quoad plenam vim probationis corroborandas non excludant contententes legislatorem illa principia iuris veteris, id est can. 1751 CIC/1917 et art. 117 Instructionis *Provida Mater* anni 1936, quibus vigentibus partium declaratio non probatio habebatur, sed solum adminiculum, quod nihil probat, sed tantummodo alias probationes suffulcit, non conservare voluisse. Canonem autem 1536 §2 nihil esse dicunt, quod ad illa principia iuris veteris pertineat, sed, attenta vi probatoria partium declarationum, novas praebere vias. Quocirca non opus esse ut partium declarationes aliis probationibus corroborentur, sed suffi-

Ex ordine amborum canonum, 1536 §2 sc. et 1679, in libro VII Codicis *De processibus* sequitur, ut elementa de quibus in can. 1679, id est elementa partium declarationes credibilitate corroborantia, iudex non aestimare licet nisi in causis matrimonialibus, in quibus aliae probationes non afferri possunt. Quod clare quoque patet ex illa clausula initio can. 1679 statuente: «Nisi probationes aliunde plenae habeantur». Qua tantummodo sub condizione (cf. “nisi”) iudex potest partium depositionibus vim plenae probationis tribuere iam elementis nihil probantibus, testibus nempe de partium credibilitate aliisque indiciis et adminiculis eas credibilitate corroboranti-

cere iam elementa, quae non sint probatoria. Quae ad elementa pertinere partium declarationes quoad earum credibilitatem corroborare.

Ad iurisperitos probationes excludentes aut non omnino necessarios censescentes pertinent v. gr. M.J. ARROBA CONDE, *Diritto Processuale Canonico*, Roma 2001⁴, 414; N. LÜDECKE, «Ehenichtigkeitserklärung aufgrund der Parteiaussagen gemäß c. 1679 CIC» (cf. nt. 3), 200; K. LÜDICKE, «Kommentar zu den Canones 1400-1752» (cf. nt. 3), 1536, 7; K. LÜDICKE, «*Dignitas Connubii*» (cf. nt. 11), 229; F.G. MORRISEY, «L'interrogation des parties dans les causes de nullité de mariage», in *Dilexit Iustitiam*, Fs Aurelius Card. Sabattani, Città del Vaticano 1984, 373 s.; P. PLATEN, «Die Bedeutung der Parteierklärungen im kanonischen Prozess», *De Processibus Matrimonialibus* 8/1 (2001) 350; M.F. POMPEDDA, «Il valore probativo delle dichiarazioni delle parti nella nuova giurisprudenza della Rota Romana», in *Studi di diritto processuale canonico*, Milano 1995, 232; A. WEISS, «Was ist neu an den “neuen Wegen” im Beweisrecht des Ehenichtigkeitsprozesses? Zu den Möglichkeiten in cc. 1536 §2, 1573 und 1679 CIC, den Konflikt zwischen rechtlichem Formalismus und freier Beweiswürdigung zu überwinden» *De Processibus Matrimonialibus* 8/2 (2001) 161 s.

bus. Ab hac ergo possibilitate omnes aliae causae excluduntur, quae sub normam can. 1536 §2 cadunt. His in causis partium declarationes praeprimis elementis probatoriis, ut supra dictum est, seu elementis directe vel indirecte factum probandum probantibus, corroborantur, quo plena vi gaudeant probationis. Ex quo consequitur ut iudex in causis, quae non sunt causae matrimoniales et in quibus aliae probationes non desunt, moralem certitudinem non adipisci possit nisi elementis probatoriis. In causis tantummodo matrimonialibus aliarum probationum penuria laborantibus iudex hanc certitudinem adipiscitur elementis quae non sunt probatoria, sed factum probandum ob partis credibilitatem et fidem plausibile reddunt.

Ex supra relatis ratio fundamentalis "aliorum elementorum" de quibus in can. 1536 §2 connexo cum can. 1679 patet: comprehendunt enim partim probationes *factum probandum ipsum* directe aut indirecte probantes, partim elementa, id est indicia et adminicula, partium declarationes quoad *credibilitatem* corroborantia. Quae omnia elementa in omnibus causis, illis nullitatem matrimonii declarandis additis, simul cum partium declarationibus ante aestimanda sunt, quam iudex moralem certitudinem adepturus vim plenae qua corroborantur probationis eis tribuat.

Quae omnia elementa se ab *ceteris causae adiunctis*, de quibus in prima parte can. 1536 §2, differunt. Haec differentia patet et ex verbo *accedant* et ex pronomine *alia* ante nomen *elementa* posita¹². Iudex enim ad partium declarationibus vim probanditribuendum primum cetera causae adiuncta aestimare

¹² J. GEHR, *Die Bewertung des gerichtlichen Geständnisses und der Parteiaussagen* (cf. nt. 10), 73.

debet. Quo facto, ut eis, quae a partibus allata sunt, *plena* vis probationis tribui possit, alia elementa aestimanda sunt. Cetera ergo causae adiuncta ad *vim probationis*, alia autem elementa, quae accedere debent, ad *plenam* vim probationis tribuendam apta sunt. Antequam aliis elementis vis plena probationis tribuatur, iudicis est omnia ad declarationes partium pertinentia examinare. Ad quod quoque faciendum apta sunt illa criteria credibilitatis, quae in can. 1572 de testis fide elenchatur¹³. Agitur praesertim de criteriis quoad modum gerendi et circumstantias declarandi, dum processus peragitur¹⁴, id est de elementis extrinsecis, quae quoque iudex declarationibus aestimandis partium applicare potest. Hoc examine facto, eius insuper est partium declarationes ad alias probationes pertinere aestimaturus, num quoad quantitatem et qualitatem ad probandum aptae sint¹⁵. Quibus omnibus diligenter aestimatis, iudex partium declarationibus vim probandi tribuere potest. Haec tamen probatio plena vi probationis nondum gaudet. Quae enim non tribui potest, nisi alia elementa ex actis et probatis haurita ad cetera causae adiuncta accederint. Statim autem ac partium declarationes plenam vim probationis obtinuerunt, iudex moralem certitudinem sibi in animo efformare potest.

¹³ J. GEHR, *Die Bewertung des gerichtlichen Geständnisses und der Parteiaussagen* (cf. nt. 10), 48; N. LÜDECKE, «Ehenichtigkeitserklärung aufgrund der Parteiaussagen gemäß c. 1679 CIC» (cf. nt. 3), 194.

¹⁴ Cf. P. WIRTH, «Die Würdigung der Partei- und Zeugen-aussagen im kirchlichen Ehenichtigkeitsverfahren», *Archiv für katholisches Kirchenrecht* 156 (1987) 113.

¹⁵ N. LÜDECKE, «Ehenichtigkeitserklärung aufgrund der Parteiaussagen gemäß c. 1679 CIC» (cf. nt. 3), 189.

4. De *elementis intrinsecis et extrinsecis*

Maximum afferendum est notioni meriti causae pondus, cum quaestio, utrum natura elementorum circa meritum causae intrinseca sint an extrinseca, hac imprimis ex notione pendat. *Meritum causae* intellegitur et *factum probandum* ipsum et omnia alia facta, quae cum eo, de quo controversia est, directe cohaerent, id est tum *indicia gravissima* ut fundamentum praesumptionis hominis quam vocant ad mentem can. 1586¹⁶, tum cetera facta cum eo minus cohaerentia, *indicia* scilicet *gravia* et *levia*¹⁷,

¹⁶ Cf. Sententia c. Pompedda, 20 nov. 1989, in *RRDec.* 81, 689, n. 8: «Ad praesumptionem hominis si velimus directe attendere, dicendum est quasdam conditiones iure statui, quibus praesentibus tantummodo ipsa praesumptio adstrui potest. Verum conditio prima ad hominis praesumptionem stabilendam illa est, qua fundamentum ipsius praesumptionis sit *certum*. Hoc est, indicia ex quibus iudex conicere [*sic*] aliquid vult, oportet sint ipsa certa, secus enim iudex super arenam ratiocinium adstrueret; sint etiam indicia *determinata* cum suis circumstantiis, ut iudex plene hoc factum cognoscere valeat tutaque conscientia a similibus secernere et facilius perspicere utrum cum facto controverso connectatur. Secundo oportet indicium *cum facto controverso directe cohaereat*. Nimirum utrumque factum, scilicet factum certum ex quo infertur et factum controversum, sint naturali connexionem ambo unita ita ut alterum ab altero desinigi [*sic*] non valeat, ut altero posito alterum sequatur. E contra, non directe cohaerent facta quae facile stare, explicari possunt alterum sine altero, aut quae cum ita tenuissimis circumstantiis coniunguntur, ut logice, prudenter nihil inferri valeat». Elata non in textu originali.

¹⁷ Ad notionem indicii gravis et levis quod attinet cf. E. PSIUK, «Moralische Gewißheit allein aus Indizien? Zur Theorie des kanonischen Indizienbeweises», in *Iustus Iudex*, Fs P. Wesemann, Essen 1990, 599.

necnon circumstantiae atque illae causae, quae partem ad decernendum aliquid faciendum, quod caput nullitatem indirecte contingit, movent. Circumstantiae et causae, quae non directe cum controversia cohaerent, *adminicula* vocantur¹⁸. Quoad factum probandum illa indicia et adminicula rationem habent causae et consequentiae. Proinde haec cohaerent plus minusve cum eo de quo controversia est, id est de facto probando, quod in causis matrimonialibus caput est nullitatis. Aliis verbis: Facta, quae plus minusve arte cum facto probando indirecte cohaerent, *indicia*, circumstantiae autem et causae partem moventes *adimincula* vocantur. Omnia haec elementa ad meritum causae pertinent et inde natura sunt *intrinseca*. Conceptus ergo meriti causae late intellegitur, quatenus non solum facto probando, sed etiam omnibus aliis factis, circumstantiis et causis moventibus continetur, quibus factum probandum efficitur (indicia et adminicula ut causae) aut ex quibus factum probandum consequitur (indicia et adminicula ut consequentiae)¹⁹.

¹⁸ P. BIANCHI, «Le prove: a) dichiarazione delle parti; b) presunzioni; c) perizie», in *I giudizi nella Chiesa. Il processo contenzioso e il processo matrimoniale*, Milano 1999, 88: «Per “indizi” debbono intendersi fatti certi che consentono l’induzione di altri fatti peraltro non altrimenti provati; per “amminicoli” debbono intendersi quelle circostanze, soprattutto personali (quali la religiosità, la cultura, il *modus vivendi* di un soggetto) che servono a corroborare in via logica la solidità di una prova, senza essere prova in se stesse del fatto che concorrono a dimostrare».

¹⁹ Ad hoc illustrandum quoddam exemplum ex prolis exclusionem hic afferatur. Cuius probatio, ut ex prima parte can. 1536 §2 patet («In causis autem quae respiciunt bonum publicum, confessio iudicialis et partium declarationes, quae non

Omnia vero alia elementa, quae non ad meritum causae sic intellectum spectant, natura sunt *extrinseca*. Sunt illa elementa, quae credibilitatem et fidem (seu fiduciam) partium depositionum seu declarationum qua talium corroborent. Haec elementa extrinseca vocantur, quia cum eo de quo controversia ipsa est non coherent. Ad haec elementa extrinseca pertinent tum testes de partium credibilitate²⁰ tum alia adminicula, quae meritum causae non attingunt. Partis depositiones extrinsece corroborantur elementis, quibus eius et voluntas et facultas veritatis dicendae manifestantur²¹. Sunt elementa, quibus iudex indolem partis cognoscere potest. Insuper his elementis extrinsecis causa partem ad investigationem iudicalem nullitatis matrimonii instituendam movens annu-

sint confessiones, vim probandi habere possunt, a iudice aestimandam una cum ceteris causae adiunctis [...]»), iam ex confessione iudiciali se prolem ante nuptias exclusisse deponentis exoritur. Vis autem plenae probationis, ut patet ex secunda parte can. 1536 §2 («[...] at vis plenae probationis ipsis tribui nequit, nisi alia accedant elementa quae eas omnino corroborent») obtinetur, cum ad hoc factum probandum prolis exclusionis a parte coram iudice confessum causa simulationis, velut quidam morbus hereditarius, necnon alia facta et circumstantiae ante- et postnuptiales accedunt, velut obstinatus mediorum, ne prolis conceptio efficiatur, impediendum usus et controversiae matrimoniales, quin etiam inter coniuges ob prolis generationem rixae. Haec omnia facta et circumstantiae ad meritum causae pertinent, quia cum facto probando prolis exclusionis causaliter et consequenter connectuntur.

²⁰ K. LÜDICKE, «Kommentar zu den Canones 1400-1752» (cf. nt. 3), 3.

²¹ Cf. S. MARGELIST, *Die Beweiskraft der Parteiaussagen in Ehenichtigkeitsverfahren*, Roma 1997, 134-136, indicat aliquot exempla adminiculorum extrinsecorum velut voluntas et capacitas partis veritatis dicendae.

meratur. Aptā id genus elementa per analogiam inveni possunt in can. 1572 de testimoniorum fide, quem credibilitati partium extrinsecae aestimandae applicans iudex earum condicionem et honestatem, earum fontem scientiae, earumque declarationum constantiam et cohaerentiam consideret oportet.

Ex eo quod explicatum est patet elementa intrinseca et extrinseca obiecto inter se differre. Nam alia *meritum causae*, quod factum probandum, indicia et adminicula comprehendit, attingunt, alia ad *personam partis*, quae de merito causae deponit, spectant. Elementa intrinseca et a partibus et praesertim a testibus, qui idcirco *testes de merito* quam vocant appellantur²², afferuntur, elementa autem extrinseca, quae ad credibilitatem et fidem declarationum partium et earum personam spectant, a *testibus de partium credibilitate* in iudicio referuntur²³.

5. De maiore momento credibilitatis *intrinsecae* ad plenam vim probationis a iudice partium depositionibus tribuendam

Attentis tum elementis quae ad meritum causae spectant tum eis quae partium declarationes qua tales attingunt, ad credibilitatem partium quod attinet distinguatur oportet cum *credibilitas intrinseca* tum *credibilitas extrinseca*. Illa ad meritum causae, haec

²² M.J. ARROBA CONDE, *Diritto Processuale Canonico* (cf. nt. 11), 427.

²³ P. BIANCHI, «È più facile, col nuovo Codice di diritto canonico, dimostrare la nullità di un matrimonio? I canoni 1536, par. 2 e 1679», *Quaderni di Diritto Ecclesiale* 3 (1990) 401.

ad partium declarationes pertinet. His omnibus elementis partium declarationes, vi probationis ab iudice, ceteris scilicet causae adiunctis examinatis, eis tributa, plenam vim probationis consequuntur. Inter haec vero eminent elementa *intrinseca* ex partium et testium depositionibus haurienda, quae si desunt, iudex moralem certitudinem non adipisci potest.

Necessitas elementorum natura praesertim intrinsecorum seu ad meritum ipsum causae pertinentium ad plenam vim partium depositionibustribuendam patet ex facto quod can. 1536 §2 de partium depositionibus tractat, quae *coram iudice* emissae sunt et idcirco “iudiciales” appellantur. Quibus annumerantur confessio et aliae declarationes, quae non sunt confessiones. In causis autem matrimonialibus confessioni iudiciali aliisque partium declarationibus quaedam est qualitas, qua a depositionibus extraiudicialibus, id est confessione extraiudiciali et declarationibus extra iudicium a partibus emissis, inter se differunt. In his enim causis confessio iudicialis ut solet non contra partem, quae eam coram iudice emittit, sed *ad eius favorem*, ad nullitatem nempe declarandam, peragitur. Confessio iudicialis in causis matrimonialibus, praesertim cum caput nullitatis est exclusio seu simulatio, elemento suo essentiali privatur, nempe quod contra se peragitur, ut patet ex definitione can. 1535. Quapropter in causis matrimonialibus conceptus confessionis in sensu haud proprio adhibetur, quatenus pars adversus matrimonii validitatem factum, quod a iudice cognosci et sententia declarari desiderat, asserit²⁴. Praeterea tum

²⁴ His respectis in art. 179 §2 Instructionis *Dignitas connubii* legi potest: «Attamen in causis nullitatis matrimonii confes-

haec confessio tum aliae declarationes iudiciales semper *in tempore suspecto* emittuntur²⁵, ex quo possibilitas non excluditur, ut ea quae ad veritatem pertinent, a parte, bona quamvis fide, obscurata referantur et distorta.

Hac ex qualitate depositionibus iudicialibus propria requiritur, ut elementa partium depositiones corroborantia in omnibus causis boni publici, illis imprimis matrimonialibus in quibus confessio iudicialis non contra partem peragatur non exclusis, probationes esse debeant. Probationes suapte natura intrinsecae sunt, cum ad factum ipsum probandum directe aut indirecte pertineant. In causis autem matrimonialibus, in quibus haec probationes desunt, iudici ad normam can. 1679, ut moralem certitudinem de capite nullitatis in partium depositionibus asserto adipiscatur, ob qualitatem de qua supra eis propriam potissimum elementa intrinseca, quae non sunt probationes, indicia nempe et adminicula ad meritum causae spectantia, afferenda sunt²⁶. Dum

sio iudicialis intellegitur declaratio qua pars, scripto vel ore, coram iudice competenti, sive sponte sive iudice interrogante, asserit *proprium factum adversus matrimonii validitatem*» (elata non in textu originali). In art. 181 eiusdem Instructionis de confessione extraiudiciali consequenter legitur: «Quoad partium extraiudiciales confessiones adversus matrimonii validitatem et alias earum declarationes extraiudiciales in iudicium deductas, iudicis est, perpensis omnibus adiunctis, aestimare quanti eae sint faciendae (cf. can. 1537)».

²⁵ Cf. P. BIANCHI, «L'esclusione della prole nella giurisprudenza della Rota Romana dal CIC 1983», in *Prole e matrimonio canonico*, Città del Vaticano 2003, 129.

²⁶ P. BIANCHI, «L'esclusione della prole» (cf. nt. 25), 129 s., ubi quoad confessionem iudicalem in causis simulationis animadvertit: «[...] mi sembra di poter dire che la giurispru-

ergo partium depositio ad can. 1679 probatio est elementis praesertim intrinsicis quae non sunt probationes *corroboranda*, ad can. 1536 §2, quippe qui in parte iudicii contentiosi ordinarii locum habeat, partis depositio, sive confessio iudicialis sive alia declaratio iudicialis, in causis matrimonialibus probatio est aliis probationibus seu elementis probatoriis *probanda*, quibus quoad vim probationis corroboratur.

Haec partium depositionum corroboratio modo probandi non pugnat, ut supra iam dictum est, cum vocabulo *corroborare* in can. 1536 §2 adhibito, cum quaedam probatio aliis etiam probationibus corroborari possit. Nequaquam ergo vocabulum *corroborare* probationes excludit. In causis autem matrimonialibus, in quibus plenae probationes ad partium depositiones corroborandas non habentur, partis depositio est probatio elementis corroboranda, quae non sunt probationes, sed facta, circumstantiae et causae moventes relata ad meritum causae, cum tum causae sint ex quibus factum probandum consequitur, tum consequentiae, quae ex facto probando oriuntur, ut supra explicatum est. Qua ad meritum causae relatione haec elementa de quibus in can. 1679 non probatoria, sed sensu proprio corroborantia sunt, quibus partium depositiones his in causis matrimonialibus

denza rotale manifesta un atteggiamento equilibrato: ossia di attenta valutazione – come del resto la stessa legge prevede al can. 1536 § 2 – di quale valore probatorio vada ad essa attribuito, senza eccessi sia di sfiducia e sospetto, ma neppure di ingenua credulità. Così si afferma che le dichiarazioni delle parti vanno valutate non secondo gli interessi del momento [...]. Questa verifica deve poi essere condotta *soprattutto* sulla base di motivi *intrinseci*, non tanto estrinseci, di riscontro e conferma». Elata non in textu originali.

credibiles reddantur. Haec credibilitas intrinseca maximi est momenti iudici ad vim plenam partium depositionibus tribuendam et moralem certitudinem adipiscendam.

Praeter ea, quae supra explanata sunt, natura praeprimis intrinseca elementorum patet quoque ex verbis «praeter alia indicia et adminicula» necnon «si fieri potest» in can. 1679 adhibitis. Quibus quidem vis testium de partium credibilitate, quae ad elementa credibilitatis partium extrinsecae pertinent, minuitur. Nam verbis «praeter alia indicia et adminicula» legislator requirit, ut iudex ad vim plenae probationis tribuendam non tantum testes de credibilitate interroget, sed insuper imprimis indicia ei et adminicula ad depositiones partium, quibus non iam plena est vis probationis, corroborandas respicienda sunt. Haec autem indicia et adminicula ad meritum causae, id est ad partium credibilitatem intrinsecam pertinent.

Deinde illa quoque clausula “si fieri potest” affirmatur testes de partium credibilitate aliis indiciis et adminiculis subordinatos et quoad ea vi corroboranti esse minores, quatenus ea providetur quasdam esse causas, in quibus iudex testes de partium credibilitate aut non audire possit aut eos ad testimonium de partium credibilitate proferendum non esse aptos cognoscat. His circumstantiis iudicialibus praemissis, iudex moralem certitudinem in animo sibi efformare potest solis aliis indiciis et adminiculis ad meritum causae pertinentibus, id est natura intrinsecis.

Praeter haec pro maiore elementorum intrinsecorum ad vim plenae probationis tribuendam momento argumenta verbo quoque “adhibeat” in can. 1679 demonstratur testes de partium credibilitate, seu elementa extrinseca, vi esse aliis indicis et adminiculis

minores. Nam “adhibeat” hoc in contextu coniunctivus est *adhortativus*²⁷. Patet legislatorem in can. 1679 nec gerundivo («iudici testes de credibilitate adhibendae sunt») nec alio modo obligationis exprimendae (velut “debet”, “oportet” aut “tenetur”) uti. Ex coniunctivo adhortativo “adhibeat” sequitur ut iudex rebus quidem solitis testes de partium credibilitate audiat oportet, exceptis tamen illis causis, in quibus ii non audiri possint aut iudex eos ad testimonium de credibilitate partium ferendum aptos non censeat²⁸. In his circumstantiis iudex obligatione eos audiendi non tenetur. Qua de causa vim plenae probationis solis elementis intrinsecis, quae illa «alia indicia et adminicula» de quibus in can. 1679 comprehendunt, tribuere ei licet.

His quae supra relata sunt perpensis, demonstratur ad moralem certitudinem in causis matrimonialibus adipiscendam, in quibus ad normam can. 1679 corroboratio partium depositionum non fieri potest nisi elementis partium credibilitatem corroborantibus, iudici praeprimis ac potissimum opus esse elementis, quae natura sunt *intrinseca*. Iudex, qui can. 1679 applicans tantummodo elementis extrinsecis fulserit, moralem certitudinem ad mentem Pii XII non adipisci potest, cum partium depositiones hoc modo non plena vi probationis gaudere possint et dubio prudenti in animo iudicis relicto loco moralis

²⁷ De coniunctivo adhortativo et iussivo in textibus legalibus adhibitis («Sollvorschrift»/«Mußvorschrift») accurate pluribusque verbis pertractatur in G. MAY – A. EGLER, *Einführung in die kirchenrechtliche Methode*, Regensburg 1986, 172 s.

²⁸ Cf. N. LÜDECKE, «Ehenichtigkeitserklärung aufgrund der Parteiaussagen gemäß c. 1679 CIC» (cf. nt. 3), 158 s.

certitudinis gradum probabilitatis adipiscatur, qui ad nullitatem matrimonii declarandam non sufficit.

Ex decisionibus Romanae Rotae Tribunalis clare patet quod cann. 1536 §2 et 1679 praesertim in causis de nullitate matrimonii ob exclusionem seu simulationem ad can. 1101 §2 applicantur²⁹. Revera probatio simulationis perdifficilis est, quae habetur, postquam actus positivus voluntatis tempore consensus praestandi expletus a iudice cognitus est. Probatio simulationis difficilis evadit, primum cum simulatio sit actus voluntatis internus, quippe quae suapte

²⁹ Cf. Sent. c. Faltin, 28 apr. 1993, in *RRDec.* 85, 307-313; Sent. c. Faltin, 21 iul. 1993, in *RRDec.* 85, 573-589; Sent. c. Davino, 2 aug. 1993, in *RRDec.* 85, 615-620; Sent. c. Stankiewicz, 17 dec. 1993, in *RRDec.* 85, 773-797; Sent. c. de Lanversin, 26 ian. 1994, in *RRDec.* 86, 47-55; Sent. c. Giannecchini, 19. nov. 1993, in *RRDec.* 85, 683-694; Sent. c. López-Illana, 12 dec. 1994, in *RRDec.* 86, 619-649; Sent. c. Civili, 25 mart. 1994, in *RRDec.* 86, 173-177; Sent. c. Huber, 28 sept. 1995, in *RRDec.* 87, 525-533; Sent. c. Giannecchini, 13 oct. 1995, in *RRDec.* 87, 546-556; Sent. c. Stankiewicz, 27 oct. 1995, in *RRDec.* 87, 595-607; Sent. c. Giannecchini, 23 ian. 1996, in *RRDec.* 88, 42-51; Sent. c. Giannecchini, 31 maii 1996, in *RRDec.* 88, 424-433; Sent. c. Monier, 21 iun. 1996, in *RRDec.* 88, 480-485; Sent. c. Defilippi, 22 nov. 1996, in *RRDec.* 88, 745-759; Sent. c. Stankiewicz, 24 iul. 1997, in *RRDec.* 89, 636-656; Sent. c. Faltin, 16 apr. 1997, in *RRDec.* 89, 303-311; Sent. c. Caberletti, 23 oct. 1997, in *RRDec.* 89, 737-745; Sent. c. Monier, 27 iun. 1997, in *RRDec.* 89, 559-568; Sent. c. Stankiewicz, 24 iul. 1997, in *RRDec.* 89, 636-656; Sent. c. Defilippi, 28 iul. 1997, in *RRDec.* 89, 673-686; Sent. c. Sable, 2 apr. 1998, in *RRDec.* 90, 312-321; Sent. c. Caberletti, 28 maii 1998, in *RRDec.* 90, 421-432; Sent. c. Monier, 4 iun. 1998, in *RRDec.* 90, 456-466; Sent. c. Erlebach, 29 oct. 1998, in *RRDec.* 90, 678-688; Sent. c. Monier, 6 nov. 1998, in *RRDec.* 90, 708-720; Sent. c. Stankiewicz, 26 nov. 1998, in *RRDec.* 90, 756-771; Sent. c. Caberletti, 27 nov. 1998, in *RRDec.* 90, 808-823.

natura non ad extra manifestetur et proinde a nemine percepti possit; deinde iudex rationem habere debeat partem, quae se simulavisse coram eo asserit, etiam in iudicio veritatem non dicere; demum cum non excludatur oporteat facta varias ob causas a parte obscurata et detorta referri. His quamvis licet simulationi probandae difficultatibus obstantibus, probatio eius verumtamen non impossibilis habetur, sicut a iudicibus rotalibus numero haud paucis in decisionibus eorum animadvertuntur. Difficultates quidem superari possunt, si ad confessionem iudicalem aut alias partis declarationes quaedam causa proportionaliter gravis matrimonium ipsum aut alium elementum vel aliam proprietatem matrimonio essentialem excludendi necnon facta et circumstantiae, praesertim praematrimonialia, sed etiam matrimonialia et postmatrimonialia depositiones partis corroborantia accederint. Quae facta et circumstantiae elementa sunt indirecta sive probatoria (indicia scilicet gravissima) sive corroborantia sensu stricto (indicia quidem gravia et levia necnon adminicula). In quibusdam sententiis *coram Stankiewicz* expressis verbis animus attenditur ad impossibilitatem simulationem probandi, nisi partium depositiones elementis probatoriis corroborantur. Qua de causa, ut actus positivus voluntatis probetur, semper indicium gravissimum seu violentum requiritur, quo iudex ad normam can. 1586 praesumptionem de exclusionem conicere possit. In causis de simulatione hoc indicium gravissimum est causa simulationis, cum factum sit quod cum eo, de quo controversia (id est simulatio) est, directe cohaeret. Non ergo fieri potest ut simulatio aliis indiciis, quae non sunt gravissima seu vehementia, probetur. Indicia gravia et levia necnon adminicula seu circumstantiae, elementa licet intrinseca, non tamen

ad moralem certitudinem de simulatione adipiscendam apta sunt. Quae enim elementa non probatoria habentur, sed corroborantia. Quocirca factum ipsum simulationis non patefaciunt, sed existentiam eius plausibilem reddunt. Talia cum sint, certum faciunt iudicem, dummodo cohaerentia et concludentia eorum cognoscantur, de causa simulationis, cum eam suffulciant et hoc modo iudici viam aperiant praesumptioni coniciendae.

Similia dicere oportet de quibusdam vitiis ad libertatem consensus pertinentibus. In causis nempe ad metum probandum vis et aversio illa quibus metus a iudice praesumitur indicia gravissima habentur. Quae autem indicia aliis factis (indiciis scilicet gravibus et levibus), circumstantiis aliisque causis moventibus corroboranda sunt. Hoc in contextu modi tempore ante matrimonii agendi tum metum patientis tum metum inferentis perponderosi sunt. Si indole quidem metum inferens severus, rigidus, acer ac inclemens est, metum autem patiens obnoxius, timidus et facile vulnerabilis evadit, aversio et vis his elementis adminiculativis non improbabiles redduntur, quo fit ut iudex, ea prae oculis habens aliaque indicia et adminicula diligenter perpendens, aversionem et vim cognoscat, quibus detectis metus praesumatur.

6. Conclusiones

Quod ad conclusiones attinet, duae quaestiones prae oculis habendae sunt: Primum utrum illa in processu canonico ad nullitatem matrimonii in foro externo facilius probandam introducta nova quam dicunt via, qua ad normam can. 1679 vis plenae pro-

bationis partium depositionibus in illis causis matrimonialibus, in quibus plenae probationes aliunde non habentur, elementis non probatoriis, sed corroborantibus tribui potest, re vera ad illum gradum certitudinis iudicem ducat, quae a Summo Pontifice Pio XII in illa celeberrima ad Romanae Rotae Tribunalis auditores anno 1942 habita allocutione *moralis certitudo* vocatur? Deinde sequitur quaestio de natura aliorum elementorum de quibus in can. 1536 §2 connexo cum can. 1679 quoad meritum causae. Nam, natura horum elementorum eruta, tum condiciones apparentur, quibus respectis iudex plenam vim probationis partium depositionibus tribuere potest, tum responsum datur ad gradum certitudinis quod attinet, quem iudex, cann. 1536 §2 et 1679 applicatis, adipiscatur.

Omnibus quae supra de re pertractantur perpendendis, dicendum est:

1. Primum, ad can. 1536 §2, partium depositiones in causis quoque, quae bonum publicum respiciunt, non tantum adminicula habentur, sed, ceteris causae adiunctis ab iudice aestimatis, vim probationis assequi possunt. Quapropter confessiones iudiciales aliaeque partium declarationes iudiciales *initium* sunt *probationis* facti probandi, quod in causis matrimonialibus caput est nullitatis.

2. Postea autem can. 1536 §2 adiungit partium depositionibus non vim *plenae* probationis tribui posse, nisi alia accedant elementa, quae eas omnino corroborent. Haec elementa in omnibus causis, matrimonialibus ergo non exclusis, probationes sunt seu elementa probatoria, cum directe aut indirecte ad factum ipsum probandum eruendum spectent. Haec elementa partium depositiones ad mentem can. 1536

§2 *probando* corroborant, si quidem probationes vel elementa probatoria alias probationes corroborare possunt. Pariter ac in Codice pio-benedictino (1917) legislator ad vim plenae probationistribuendam probationes requirit. Quod quoque patet ex iurisprudentia rotali, quae, can. 1536 §2 applicans, in causis simulationis praeter confessionem iudicalem praesertim *confessione extraiudiciali* ad simulationem probandam opus esse monet³⁰. In haud paucis decisionibus rotalibus pondus confessionis extraiudicialis ad plenam vim probationis partium depositionibus iudicialibus tribuendum quibusdam quoque adverbiiis veluti “praesertim”, “maxime” vel “potissimum” effertur³¹. Quae confessio extraiudicialis

³⁰ Cf. Giannecchini, 19 nov. 1993, in *RRDec.* 85, 685, n. 3; Sent. c. Funghini, 7 iul. 1993, in *RRDec.* 85, 523, n. 5; Sent. c. Stankiewicz, 17 dec. 1993, in *RRDec.* 85, 783, n. 18. Sent. Ragni, 19 apr. 1994, in *RRDec.* 86, 183, n. 8; Sent. c. De Lanversin, 15 iun. 1994, in *RRDec.* 86, 314, n. 5; Sent. c. Giannecchini, 21 iun. 1994, in *RRDec.* 86, 347, n. 4; Sent. c. Huber, 27 oct. 1994, in *RRDec.* 86, 536, n. 9; Sent. c. López-Illana, 12 dec. 1994, in *RRDec.* 86, 630, n. 21; Sent. c. Ragni 4 iul. 1995, in *RRDec.* 87, 455 ss., n. 10; Sent. c. Giannecchini, 13 oct. 1995, in *RRDec.* 87, 546, n. 3; Sent. c. Bruno, 24 nov. 1995, in *RRDec.* 87, 628, n. 6; Sent. c. Pompedda, 15 Nov. 1996, in *RRDec.* 88, 701, n. 11; Sent. c. Defilippi, 18 dec. 1996, in *RRDec.* 88, 822, n. 8; Sent. c. Monier, 27 iun. 1997, in *RRDec.* 89, 561, n. 5; Sent. c. Defilippi, 18 dec. 1996, in *RRDec.* 88, 822, n. 8; Sent. c. Pompedda 23 oct. 1998, in *RRDec.* 90, 628, nn. 19-20; Sent. c. Monier, 6 nov. 1998, in *RRDec.* 90, 714, n. 12.

³¹ Cf. Decisiones quae hic sequuntur: Sent. c. Giannecchini, 19 nov. 1993, in *RRDec.* 85, 685, n. 3; Sent. c. Funghini, 9 mart. 1994, in *RRDec.* 86, 146, n. 4; Sent. c. Stankiewicz, 27 maii 1994, in *RRDec.* 86, 249, n. 17; Sent. c. Funghini, 25 ian. 1995, in *RRDec.* 87, 77, n. 3. Sent. c. Pompedda, 22 oct. 1996, in *RRDec.* 88, 633, n. 7; Sent. c. Funghini, 29 ian. 1997, in

elementum est probatorium, quo ea quae a partibus asseruntur confirmantur. Codex ergo quoque vigens pariter ac Codex pio-benedictinus ex principio profiscitur, quod omnis partium depositio *probatio* est ab aliis probationibus seu elementis probatoriis *probanda*. Sermo ergo de innovatione a legislatore introducta³² non ad can. 1536 §2 qua talem spectat.

3. In illis tamen causis matrimonialibus, quae, cum probationes aliunde plenae non habeantur et nullitas matrimonii in foro externo difficilius erui possit³³, speciales evadunt, ad normam can. 1679 de causis ad matrimonii nullitatem declarandam, quae pars sunt normarum de quibusdam processibus specialibus, iudex partium depositionibus vim plenae probationis attribuire potest iam elementis, quae non probatoria sunt seu probationes comprehendunt, sed conferunt ad credibilitatem partium earumque fidem corroborandas. Quae elementa a legislatore in can. 1679 elencantur: sunt enim testes de partium credibilitate praeter alia indicia et adminicula. Quae omnia factum de quo controversia est non probant, sed potius partium depositiones *corroborant* eas sufficientia. Illae perinde viae in processu canonico, de quibus in epistula de qua supra Congregationis pro Doctrina ad quaestionem pastorem de receptione

RRDec. 89, 42, n. 4; Sent. c. Faltin, 9 apr. 1997, in *RRDec.* 89, 251, n. 10; Sent. c. Faltin, 23 iul. 1997, in *RRDec.* 89, 632, n. 4; Sent. c. Gianecchini, 25 iul. 1997, in *RRDec.* 89, 659, n. 3.

³² I. GORDON, *Novus processus nullitatis matrimonii* (cf. nt. 4), 23.

³³ Hic de duobus condicionibus agitur ad can. 1679 applicandum: una ex parte deficientia aliunde plenas probationes afferendi, altera ex parte difficultas hanc ob causam orta nullitatem matrimonii in foro externo probandi.

communione eucharisticae a fidelibus, qui novas post divortium nuptias inierunt, novae re vera censerī possunt, quatenus elementa intrinseca can. 1679, id est indicia et quaedam adminicula, quamvis ad meritum pertineant causae, non tamen probatoria sunt, sed tantummodo corroborantia³⁴.

4. Haec elementa de quibus in can. 1679 imprimis sunt *intrinseca*, quoniam ad meritum causae pertinent. Numquam ad vim plenae probationis partium depositionibus tribuendam sufficit, ut credibilitas earum extrinseca, id est sola credibilitas declarationum quae talium corroboretur, sed ad hoc efficiendum potius requiruntur elementa, quae ad credibilitatem partium *intrinsecam*, id est *ad meritum eorum quae partes declarunt pertinentia*, suffulciendam atque corroborandam apta sint. Haec elementa intrinseca indicia sunt et adminicula, seu facta, circumstantiae et causae partem ad aliquid faciendum moventes, quae aut factum probandum efficiunt (causae facti probandi) aut ex eo consequuntur (consequentiae facti probandi).

Elementa de credibilitate extrinseca ad declarationes partium quae tales necnon ad causae adiuncta

³⁴ E contra, illae viae, quas can. 1536 §2 connexus cum can. 1679 aperit, non admodum novae habentur, si haec indicia et adminicula de quibus in can. 1679 probatoria vel sicut probationes censentur. Haec interpretatio fieri potest ex eis quae ad rem docentur a v. gr. P. BIANCHI, «È più facile...?» (cf. nt. 23), 401 s; R.L. BURKE, «La *confessio iudicialis* e le dichiarazioni giudiziali delle parti», in *I mezzi di prova nelle cause matrimoniali secondo la giurisprudenza rotale*, Città del Vaticano 1995, 20; C. TRICERRI, «Commento al Libro VII – I processi. Cann. 1671-1707», in *Commento al Codice di Diritto Canonico*, Città del Vaticano 2001–, 968, quorum sententiae cum eis quae supra de iudiciis et adminiculis explanata sunt congruunt.

de quibus in prima parte can. 1536 §2 pertinentia – uti testes de partium credibilitate aut quaedam adminicula – illis elementis intrinsicis, quae maioris sunt ponderis, subiciuntur. Quod patet et ex clausula can. 1679 ipsius *si fieri potest* et coniunctivo verbi *adhibeat*, quos modos exprimendi adhibens legislator relativitatem testium de credibilitate aliorumque elementorum extrinsecorum ad elementa credibilitatis intrinsecae quod attinet ostendit. Ex iurisprudencia quoque rotali hoc quoad elementa intrinseca minus elementorum extrinsecorum pondus clare patet, quatenus testes de credibilitate non nisi paucis in casibus interrogati esse videntur. Oportet praesertim eorum testimonium admittatur, quotiescumque de credibilitate partis quaedam iudici inicitur dubitatio ob pugnam eorum, quae ab parte asserta sunt, cum eis, quae ab altera vel testibus allata sunt.

5. Ad quaestionem demum, utrum legislator, attenta quam can. 1536 §2 una cum can. 1679 iudici praebet possibilitate, conceptum traditum moralis certitudinis a Summo Pontifice Pio XII definitum conservaverit aut illi quidem gradui, qui *probabilitas* appellatur, favens quamvis eum re tamen abiecerit, respondendum est iudicem can. 1679 applicare debere respectis principiis probationis per indicia³⁵. Eius nempe est in probationibus aestimandis cohaerentiam inter facta (indicia) et circumstantias (adminicula) cum eo de quo est controversia, id est in causis matrimonialibus cum capite nullitatis, cognoscere. Una cum omnibus elementis, illis extrinsecis velut, si fieri potest, testibus de partium credibilitate

³⁵ Cf. E. PSIUK, «Moralische Gewißheit allein aus Indizien?» (cf. nt. 17), 597-612.

completis, partium credibilitas adeo corroboratur, ut ea certitudine iudici in conscientia persuasum est factum probandum vere exstare, qua omne prudens dubium excludatur.

Haec omnis dubii prudentis exclusio eximie efficitur elementis intrinsecis ad vim plenae probationis partium depositionibustribuendum a iudice aestimandis, ut supra affirmatum est. Indicia, de quibus in can. 1679, gradu sunt gravia et levia et, adminiculis completa, ad meritum eorum quae a partibus deponuntur pertinent. Quarum credibilitatis intrinsecae corroboratio eo fit, ut indicia gradu inferiora indiciis gradu superioribus subiciantur et una cum adminiculis intrinsecis seu circumstantiis ad meritum pertinentibus invicem suffulcianur, quo cohaerentia cum facto probando a iudice cognoscatur et partium depositiones vi probatoria ad can. 1536 §2 corroborentur. Haec corroboratio credibilitate praesertim intrinseca suffulta, testibus aliisque adminiculis de credibilitate extrinseca completa, fundamentum est, quo nixus iudex illum gradum certitudinis ad can. 1608 §1 in animo suo adipiscitur, quae a Summo Pontifice Pio XII moralis vocatur.

Qua in animo iudicis efformata, de vinculo matrimonii cognoscitur veritas, ad quam eruendam omnes ubique terrarum iudices ecclesiasticos in illa prima de qua supra pontificatus sui allocutione ad Romanae Rotae Tribunal habita adhortatus est Supremus pro toto orbe catholico Legislator et Iudex Pontifex Maximus *Benedictus XVI*.

GERO P. WEISHAAPT